



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011860X

§. 49. Monita Pontificis ad Patres, ejusque literæ ad Legatos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

modo posset, Mantuano abunde gratificaretur, & cum eo cuncta negotia communicaret, frequenterque ejus mensæ ab eodem invitatus accumberet, nec non tunc, ubi ex Episcopis quispiam ad se accederet ad aliquid ejus opera a Pontifice impetrandum, illum cohortaretur, ut is simul a primo Præsidente eam commendationem posceret, adeoque Mantuanus se magni fieri cognosceret non modo ab Episcopis, sed & a Pontifice, quem ipsorum precibus non nisi Mantuani Cardinalis ministerio satisfacere velle, tandem agnoscerent.

§. XLIX.

Monita Pontificis ad Patres, ejusque literæ ad Legatos.

Epistola, quæ Lancianensi Archiepiscopo tradebatur, adhuc majori verborum comitate erat conscripta, in qua summus Pontifex primum Legatum hoc titulo decorabat: *Illustrissima vestra Persona*: quæ tamen nomenclatura antehac Pontificibus erga Cardinales haud usitata erat. Porro Archiepiscopus insuper hæc cunctis Patribus nuntiare jubebatur: „Pontifex omnino vult Concilium esse liberum, omnesque ex animi sui conscientia suffragia ferre, & „Decreta secundum veritatem fieri: nec „etiam Sanctitas sua ægre fert, quod „Præ-

Sarpinus l.c.

Sæcul. XVI.
A.C. 1562. „Præsules huic magis, quam alteri sen-
„tentiae suffragentur, sed unice moli-
„mina, & artes, quibus hominum ani-
„mis, ac persuasionibus vis quædam
„afferri videtur, aversetur, atque con-
„tentiones, & verborum amarulentiam
„inter ipsos natam, quæ Concilii Gene-
„ralis dignitati parum respondent, re-
„probat, neque sese opponit residentiae
„determinationi, sed suadet potius, ut
„nimium fervorem, quo excefferunt,
„dimittant, neque enim dubitat, quin
„tunc, ubi animis plene mitigatis dun-
„taxat divini Numinis cultum, & Ec-
„clesiæ bonum respexerint, argumen-
„tum illud maximo cum fructu possit
„pertractari.

Eadem ferme communi nomine ad ceteros perscripsit Legatos, illos hortatus, ut Concilii sub Julio III. celebrati vestigiis insistentes, illo ævo agitata, & digestas quæstiones recolerent, ac Synodo finem imposituri decreta desuper conficerent.

§. L.

Cæsaris epistola ad Mantuanum Cardinalem, ceterosque Papæ Legatos.

Pallav. c. 5.
n. 1. & 3.

Postquam Pontifex Mantuano Cardinali Tridento recedendi veniam sat officio-